Leonis pape.

Exultemus in domino dilectissimi et spiritali iocunditate letemur. quia illuxit dies redemptionis nove. reparationis antique. felicitatis eterne. Reparatur enim nobis salutis nostre annua revolutione sacramentum ab initio promissum in fine redditum. sine fine mansurum. In quo dignum est nos sursum erectis cordibus divinum adorare misterium. Ut quod magno dei munere agitur magnis ecclesie gaudiis celebretur. Deus enim omnipotens et clemens. cuius natura bonitas. cuius voluntas potentia. cuius opus misericordia est. statim ut nos dyabolica malignitas veneno sue mortificavit invidie. preparata renovandis mortalibus pietatis sue remedia inter ipsa mundi primordia presignavit. denuntians serpenti futurum semen mulieris quod noxii capitis elationem sua virtute contereret. Christum scilicet in carne venturum deum hominemque significans. qui natus ex virgine violatorem humane propaginis incorrupta nativitate dampnaret. Nam quia gloriabatur dyabolus hominem sua fraude deceptum divinis caruisse muneribus et immortalitatis dote nudatum. duram mortis subisse sententiam. seque in malis suis quoddam de prevaricatoris consortio invenisse solatium. deum quoque iuste severitatis exigente ratione erga hominem quem tanto honore condiderat antiquam mutasse sententiam. opus fuit dilectissimi secreta dispensatione consilii. ut incommutabilis deus cuius voluntas non potest sua benignitate privari. primam pietatis sue dispositionem sacramento occultiore compleret. et homo dyabolice iniquitatis versutia actus in culpam contra dei propositum non periret. Ingreditur ergo hec mundi infima filius dei de celesti sede descendens. et a paterna gloria non recedens. novo ordine. nova nativitate generatus. Novo ordine quia invisibilis in suis visibilis factus est in nostris. et incomprehensibilis voluit comprehendi. Ante tempora manens esse cepit ex tempore. Universitatis dominus servilem formam obumbrata maiestatis sue dignitate suscepit. impassibilis deus non dedignatus est esse homo passibilis. et immortalis mortis legibus subiacere. Nova autem nativitate generatus. quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit carnis materiam ministravit. Assumpta est de matre dei natura non culpa. creata est forma servi sine conditione servili. et novus homo sic contemperatus est veteri ut et veritatem susciperet generis et vitium excluderet vetustatis. Cum namque misericordie dei ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent. hanc potissimum consulendi elegit viam qua ad destruendum opus dyaboli non virtute uteretur potentie sed ratione iustitie. Nam superbia hostis antiqui non inmerito sibi in omnes homines ius tyrannicum vendicabat. nec indebito dominatu premebat. quos a mandato dei spontaneos in obsequium sue voluntatis illexerat. Non itaque iuste amitteret originalem humani generis servitutem. nisi de eo quod subiecerat vinceretur. Cum igitur misericors omnipotensque sal-

LANDES- UND STADT- BIBLIOTHEK DÜSSELDORF

Sermo leonis pape

natus ita susceptionis humane
moderatus est exordia misit ut vir-
tutem inseparabilis a suo homine
deitatis per velamen nostre infir-
mitatis absconderet. Illusa est se-
curi hostis astucia. qui nativitatem
pueri in salutem humani generis procreati
non aliter sibi quam omnium nascencium
putavit obnoxiam. Vidit enim
vagientem et lacrimantem. vidit
pannis involutum. circumcisioni subdi-
tum. et legalis sacrificii oblacione
purgatum. Agnovit deinceps solita
incrementa puericie et usque ad viri-
les annos de naturalibus non dubi-
tavit augmentis. Inter hec contu-
melias intulit. multiplicavit iniu-
rias. adhibuit maledicta. ob-
probria. blasphemias. convicia.
omnem postremo in ipsum vim fu-
roris infudit. omnia tempta-
mentorum genera percurrit. Et sciens quo
humanam naturam infecisset veneno
nequaquam credidit transgressionis ex-
ortem. quem tot documentis
didicerat esse mortalem. Perstitit ergo
improbus predo et avarus exactor
in eum qui nichil habebat ipsius
insurgere. et dum viciate origi-
nis preiudicium generale persequitur ciro-
graphum quo nitebatur excedit. ab
illo iniquitatis exigens penam in
quo nullam reperit culpam. Solvitur
itaque letifere paccionis male
suasa conscripcio. Fortis ille nec-
titur vinculis suis et ligato mun-
di principe captivitatis vasa ra-
piuntur. Redit in honorem suum
ab antiquis contagiis purgata
natura. mors morte destruitur. na-
tivitas nativitate reparatur.
quoniam simul et redempcio aufert
servitutem. et regeneracio mutat
originem. et fides iustificat peccatorem.
Quicumque igitur christiano nomine pie
et fideliter gloriaris reconsiliacionis
huius graciam iusto perpende iudicio.
Tibi enim quondam abiecto. tibi ex-
pulso a paradisi sedibus. tibi per exilia
longa morienti. tibi in cinerem et
pulverem dissoluto cui non erat iam
spes ulla vivendi per incarnacionem
verbi data est. et ut de longinquo
ad tuum ad tuum reverteris auc-
torem. recognosceres parentem. liber
efficiaris ex servo. de extraneo pro-
veharis in filium. Ut qui ex cor-
ruptibili carne natus est. ex
dei spiritu renascaris. et optineas
per graciam quod non habes per naturam.
Habentes ergo tante spei fidu-
ciam dilectissimi. in fide qua fun-
dati estis stabiles permanete. ne
idem ille temptator cuius dominaci-
onem christus a nobis exclusit aliquibus
iterum nos seducat insidiis. et hec
ipsa presentis diei gaudia fallacie sue
arte corrumpat. illudens simplici-
oribus animis de quorundam pes-
tifera persuasione. quibus hic dies
solempnitatis nostre non tam de
nativitate christi quam de novi ut di-
cunt solis ortu videtur honora-
bilis. quorum corda vastis tenebris
obvoluta et ab omni vere lucis in-
cremento aliena sunt. Trahuntur
enim adhuc stultissimis gentilitatis
erroribus et mundi luminaria
divino honore venerantur. Que
et si mirandam habent pulchri-
tudinem adorandam tamen non
habent deitatem. Illa ergo virtus. illa
sapiencia. illa est adoranda sola ma-
iestas. que universitatem mundi creavit
ex nichilo. et in quas voluit

ut formas atque mensuras. Creatura
celestemque terram omnipotentem ra-
tione perduxit. Sol luna et side-
ra sint commoda utentibus, sint
speciosa cernentibus. Sed ita ut
de illis gratie referantur auctori
et adoretur deus qui hec condidit
non creatura que servit. Lauda-
te igitur dominum karissimi in omnibus
operibus eius atque iudiciis. Sit in
nobis indubitata credulitas vir-
ginee integritatis et partus. Refor-
mationis humane sacrum divinumque mis-
terium sancto atque sincero hono-
rate servitio. Amplectimini Christum
in nostra carne nascentem ut eum
videre mereamini deum glorie in
sua maiestate regnantem cum deo
patre et spiritu sancto. Amen

In illo tempore Exiit edictum
a cesare augusto ut describere-
tur universus orbis. Hec descriptio
prima facta est a preside Sirie Cyrino
Et reliqua

Quia largiente domino missarum so-
lempnia ter hodie celebraturi
sumus, loqui diu etc.

In illo tempore Exiit edictum a ce-
sare augusto ut describeretur univer-
sus orbis et reliqua

Audivimus ex lectione evangelica
fratres karissimi quia nascituro
in mundum redemptori mundi deo
et domino nostro Ihesu Christo exiit
edictum a cesare augusto qui
tunc mundani regni apicem tene-
bat ut mundus describeretur uni-
versus. Quod non casu contigisse
putandum est sed certissima dis-
pensatione eiusdem nostri redemp-
toris intelligendum esse provisum.
Ipse etenim mediator dei et homi-
num sicut matrem sibi dudum quam vo-
luit providit de qua nasceretur
quando vellet humanitus, ita etiam
tempora nativitatis que voluit ele-
git, immo ipse dea qualia voluit esse
donavit, et talia videlicet in qui-
bus sopito turbine bellorum
nova pacis tranquillitas totum
contegeret orbem. Quod enim
maius in hac vita potuit esse
pacis indicium quam ab uno homine
orbem describi universum atque
unius census numismate con-
cludi. Matrem quippe elegit
virginem, quia non aliter
dei filium nasci in carne quam de in-
temerata decebat. Tempus
quo nasceretur summe pacis elegit
quia hec maxima ei nascendi
in mundo causa fuit ut genus
humanum ad superne pacis dona
reduceret. Hinc etenim scriptum
est Ipse est pax nostra qui fecit utraque
~~unum~~ unum, id est qui de an-
gelis et hominibus unam dei
domum presens mediator et recon-
ciliator instituit. Pacis igitur
temporibus natus est dominus noster ipsum
ut etiam statu temporis se esse doceret
de quo premissa prophetia dicebat
Multiplicabitur eius imperium et
pacis non erit finis. Unde bea-
tissimus propheta alias cum incarna-

[illegible]